

lam involvit, cum intentione nihil ultra comedendi, et advertit aliud superesse ferculum, ex illo absque jejunii dispendio manducare posse, quia externa non existit interruptio, sed tantum animus interrumpendi: porro externa requiritur interruptio, et interna non sufficit.

Brevis suspensio, v. g., per unam quadrantem, sine causa et animo revertendi, in usu communi hominum, non censetur interruptio proprie dicta.

9° Qui in ea refectione cibo et potu ita se ingurgitat ut afflictionem jejunii non sentiat, contra ipsam jejunii legem non agit, siquidem utitur alimentis permissis et unicam sumit refectionem, sed temperantiæ leges violat, *ut patet*, finem jejunii impedit, et sub hoc respectu venialiter aut mortaliter peccat, secundum circumstantias, et ordinarie tantum venialiter.

4° De Cœnula seu collatione serotina.

In primis temporibus monachi solebant, post cœnam, diebus jejunii, coadunari, libros sacros aut asceticos legere, de factis aut veritatibus lectis secum loqui seu colloqui ad mutuam ædificationem: hoc igitur exercitium appellabatur collatio, seu conferentia. Post illud permittebatur potus vini aut aquæ ad juvandam digestionem et fovendum somnum. *P. Concina* probat, ex regula S. Dominici et ex S. Bonaventuræ testimonio, in tredecimo sæculo usum adhuc viguisse, solum, post collationem spirituales, sumendi potum diebus jejunii.

Deinde, invalescente consuetudine cœnam anticipandi, non solum hora nona, sed etiam sexta seu meridiana, mos simul invaluit non tantum aliquid bibendi ante somnum, sed et manducandi, ne potus noceret. Talis est origo cœnulæ per tot sæcula inauditæ, et nunc universalis, quæ etiam dicitur collatio, collatiuncula et refectioniuncula.

Nulla lege positiva Ecclesia hanc refectioniunculam approbavit; sed eam vidit incipientem, paulatim grassantem,

universali consuetudine firmari, et non reclamavit: unusquisque ergo potest, tuta conscientia, eam servare, sicque etiam timoratissimi nunc faciunt.

At plures moveri possunt difficultates 1° circa qualitatem alimentorum, 2° circa quantitatem, et 3° circa horam qua sumi potest hæc collatiuncula.

1° *Circa qualitatem alimentorum.* Varia varii sentiunt doctores in eo puncto: alii enim volunt hanc cœnulam sumendam esse in modico pane, cum fructibus et herbis, non in cibis proprie dictis, ut sunt lacticinia, ova, pisces cocti, legumina cocta, etc.; alii permittunt modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdalinæ, alii panem coctum cum amygdalis, vel coctum in aqua cum sale tantum; alii concedunt parvos pisces etiam frigos in oleo vel in butyro; alii cibos omnis generis in refectione permissos, sed in modica quantitate, etc. In tanta opinionum varietate nulla melior assignari potest regula, quam ut unusquisque proxim timoratorum in sua diœcesi sequatur; quia cum cœnula ab universali Ecclesia non fuerit instituta, sed a particularibus paulatim introducta, eo modo sumi debet quo in singulis provinciis a timoratis fuit recepta, et cavendum est a nova laxitate introducenda. *Sic generatim accuratiores theologi.*

Apud nos autem permittuntur fructus arborum etiam cocti, legumina cruda et cocta, sed frigida, cum oleo, sale et aceto condita, caseus, butyrum, lac crudum, pisces crudi, ut conchæ. Panis assatus in vino vel in lacte crudo madefactus (*rôtie au vin, au cidre, au lait*) toleratur.

2° *Circa quantitatem.* Multa etiam observatur inter theologos varietas in determinanda quantitate quæ in præfata collatione licite sumi potest: omnes fatentur eam debere esse modicam, et talem ut a refectione essentialiter differat. Communius hæc assignatur regula, ut refectioniuncula non excedat quartam partem cœnæ ordinariæ quam quis, spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, fatigatione, regione, ad sufficientiam naturæ sumere solet. Unde, si quis in ordinaria refectione duabus libris alimentorum indigeat, octo sumere potest uncias

in collatione : si una libra ipsi sufficiat, quatuor tantum uncias sumere potest. Quantitas enim naturæ sufficiens variatur secundum personas, genus vitæ, regionem, etc., v. g., multo major alimentorum quantitas necessaria est juveni quam seni, rustico quam civi tota die otianti, in regione frigida habitanti quam in plaga torrida, etc.

In monasteriis aliisque communitatibus, in quibus determinatæ singulis assignantur portiones, ordinarie quatuor uncia panis locantur, ut unusquisque pro sufficientia sua comedat, superfluo relicto.

*Concina* testatur communem sententiam esse duarum unciarum excessum in collatione, id est supra quantitatem permissam, gravem esse jejunii infractionem. Sed hæc opinio est in se rigidior ac communi praxi contraria.

Aliunde qui ex refectione prandii satis est confortatus, aut qui vesperi non esurit, nihilominus collatiunculam, juxta morem receptum, sumere potest, tum propter consuetudinem existentem, tum propter anxietates ex contraria doctrina continuo obventuras. Ita *Azor* et *Cozza* apud *Dens* qui, t. 4, p. 369, eos citat et approbat.

Multi dicunt quantitatem refectioniunculæ augeri posse in vigiliis Nativitatis et Resurrectionis Domini, ob inceptum solemnitatis gaudium : *Concina* recte notat hoc procul dubio licitum esse ubi consuetudo legitime præscripsit, et non alibi; apud nos autem talis non existit consuetudo.

3º *Circa horam collationis.* Certum est eam sumendam esse ad vespèram, quia sic inducta est consuetudo. Eam igitur sumere non licet meridie, et refectionem vespere, nisi aliqua ratio id suadeat, v. g., iter agendum, negotia circa meridiem tractanda, difficultas dormiendi nocte nisi stomachus vesperi reficiatur. *Ita communiter theologi.* Ad præcedentes rationes putamus addi posse consuetudinem ordinarie ad vespèram prandendi, ut nunc fit communiter in multis familiis, non solum Parisiis, sed et in provinciis; qui ordinarie sic vivunt, suam agendi rationem n. u. t. e non tenentur ob jejunium, præsertim si occurrentes convivas hora meridiana commode habere

non possint, modo caveant ne quantitatem in collatione permissam et qualitatem ciborum prætergrediantur. Jejunium sic observatum magis affligit naturam quam jejunium consuetum in quo refectio fit meridie et collatio vespere.

Non licet autem collationem sumere mane, etiamsi refectio ad vespèram remitteretur, quia vera esset inversio ordinis statuti : excipitur, nisi aliqua notabilis causa ad id impelleret, v. g., iter faciendum. Hæc tamen inversio, sine causa, non reputatur peccatum mortale, quia substantiam jejunii non afficit. *Ita communiter theologi.*

Sacra Pœnitentiaria, hac de re consulta, respondit die 10 januarii 1834 : « Si inversionis supradictæ rationabilis » aliqua exstet causa, pœnitentes qui hoc more utuntur » non esse inquietandos. »

## ARTICULUS QUARTUS.

### DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Principium est apud omnes legem positivam non obligare cum tanto incommodo : quando igitur lex jejunii observari non potest siue notabili detrimento, non obligat; sed cum tres complectatur partes, abstinentiam a carnibus, unicam refectionem et tempus determinatum, fieri potest ut causa ab una parte excuset et non ab aliis, v. g., si quis sufficientem habeat rationem manducandi carnes, et non plures sumendi refectiones, vel pluries manducandi et non edendi carnes, horam præveniendi et non manducandi carnes, aut plures refectiones faciendi; objectum enim jejunii est divisibile, *ut patet* : unde qui non potest totum, tenetur ad partem quam potest.

Causæ autem a jejunio excusantes ad quinque reduci possunt, nempe ad ætatem, impotentiam, necessitatem, pietatem et dispensationem.

1º *Ætas.* Pueri ante usum rationis ad hanc legem certe non obligantur, quia obedientiæ non sunt capaces : unde ante septennium carnes eis licite dantur diebus je-

junii, item et perpetuo amentibus; non ita amentibus per intervalla, quia lex ipsis fuit promulgata, eosque semper obligat.

Lex abstinendi a carnibus eos omnes obligat qui usum habent rationis, quia illum observare possunt sine notabili detrimento; et sic omnes communiter sentiunt. Non ita est de unica refectione; juvenes enim crescentes abundantiori indigent nutrimento, propter necessitatem augmentandi, quod fit de residuo alimenti: quoad igitur sunt in statu augmenti, id est usque ad finem tertii septennii circiter, ad jejunia ecclesiastica non tenentur. Sic consuetudine statutum est ut jejunare non obligarentur ante vigesimum primum annum completum: « Conveniens tamen » est, » inquit *S. Th.*, 2 2, q. 147, art. 4, ad 2, « ut etiam » in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus, secundum modum suæ ætatis.»

Ante hanc ætatem juvenes ad quædam jejunia obligari possunt vel jure naturali ad illecebras carnis cohibendas, vel præcepto confessoris, vel mandato superioris, ad iram Dei placandam in magna calamitate, vel ex voto, vel ad lucrandum jubilæum.

#### *De senibus.*

Omnes theologi fatentur senes ab obligatione jejunii excusari; verum multum inter se discrepant in determinando quid per senes intelligendum sit. Quidam excusant omnes viros eo ipso quod annum quinquagesimum quintum attigerint: sed hæc opinio ab omnibus moraliter rejicitur. Alii multi contendunt omnes sexagenarios, etiam robustos, reputandos esse senes et a præcepto jejunandi esse liberatos; nam sicut juvenibus determinata est ætas pro initio jejunii, ita conveniebat ut aliqua determinaretur pro senibus, ne daretur locus anxietatibus et scrupulis: porro usus fidelium et communis sensus doctorum sexaginta determinavit annos pro incipienda senectute, et quidem merito; nam hujusmodi senum robor est ambiguum, frequenti sustentatione indiget, nec expectandum est ul-

terius ne penitus deficiat. Si quidam ultra eam ætatem reperiantur robusti et ad jejunium habiles, id fit per accidens, sicut quidam juvenes ante vigesimum primum annum commode jejunare possent, et ad id tamen non tenentur: ergo merito statutum est absolute ut nec sexagenarii, quamvis robusti, ad hanc legem obligarentur. Ita cum multis aliis *S. Ligorius*, l. 3, n. 1036, qui insuper, per consequentiam, docet 1º non expectandum esse donec sexagesimus annus sit completus, quia sexagenarius communiter dicitur qui sexagesimum annum inchoavit; 2º non improbandam esse sententiam quæ tenet feminas quinquagenarias a jejunio excusari, quia in feminis senectus antecedit, licet probabiliorem reputet sententiam oppositam, in eo fundatam quod mulieres facilius, sine detrimento valetudinis, jejunent quam viri, eo quod minori cibo indigeant; 3º eos qui se voto astrinxerunt ad jejunandum toto vitæ suæ tempore, ad ætatem sexagenariam non attendendo, sexagesimo decurrente anno jam non teneri, quia censentur se ad instar jejunii ecclesiastici obligare voluisse: secus, si expresse se obligare voluissent etiam post sexagesimum annum; *ut patet*, quia sicut juvenis ante vigesimum primum, ita et senes post sexagesimum annum se obligare possunt, modo valetudo corporis id permittat; 4º regulares sexagenarios ad jejunia regulæ amplius non teneri, nisi in eorum instituto promittatur observatio jejunii usque ad mortem, quia in eo casu privilegii senectutis excluditur. 5º Arbitratur etiam *S. Ligorius* dubium esse an jejunium voto castitatis subrogatum post sexagesimum annum obliget, et consulit ut votens dispensationem, pro qua datur ratio sufficiens, a superiore ecclesiastico obtineat.

Multi vero alii, et *Layman* dicit hanc esse communio-rem sententiam, volunt nullam determinatam esse ætatem ad obligationem jejunii finiendam; quia alii citius, alii tardius deficiunt, dum, e contra, omnes communiter crescunt usque ad vigesimum primum annum: unde senes a jejunio non excusantur, nisi quando vires corporis deficiunt, ita ut pluribus moraliter indigeant refectioni-

bus. Hæc sententia probabilior nobis videtur saltem in Gallia, quia, ex praxi timoratorum, judicatur consuetudinem apud nos non invaluisse ut ætas aliqua senes per se a lege jejunii solvat.

2<sup>o</sup> *Impotentia*. Duplex distinguitur impotentia, una physica, et altera moralis. Ratione impotentia physica excusantur, 1<sup>o</sup> infirmi, convalescentes, debiles, languidi, et ii omnes qui, sine notabili corporis aut valetudinis damno, jejunare non possunt; et si infirmitates sint graves, usum carnis sæpe exiguat: in dubio, ad judicium medici recurrendum est; 2<sup>o</sup> prægnantes et lactantes, quia ratione sui fetus, aut prolis, cui sustentationem præbere debent, abundantiori et frequentiori cibo indigent: imo, ut ait *S. Ligorius*, n. 1033, sæpe peccarent si pluries jejunarent: secus, si quibusdam vicibus mulier robusta jejunaret. Eis quandoque, sed non communiter, concedendus est carni usus, si nempe puer sit infirmus, si periculum infirmitatis immineat, vel si mater sit debilis; 3<sup>o</sup> pauperes « qui frustatim elemosynas mendicant, qui » non possunt simul habere quod eis ad victum sufficit. • Sunt verba *S. Th.*, 2 2, q. 147, art. 4, ad 4. *Sanchez* et *S. Ligorius*, cum aliis, putant eum qui habet tantum panem et legumina aut herbas, ad unicam refectio- nem non teneri, quia etsi ad hæc sit assuetus, non tamen sufficienter se sustentat, nisi pluries in die et in magna quantitate ex his sumat. Hoc ex circumstantiis prudenter judicandum esse putamus.

Ratione impotentia moralis ii excusantur qui siue magna difficultate extrinseca jejunare non possunt, quia talis difficultas magno aut notabili corporis incommodo æquiparari potest.

Hinc 1<sup>o</sup> jejunium integrum servare non tenentur ii qui- bus gravem capitis dolorem affert; 2<sup>o</sup> nec ii qui jejunando noctu dormire nequeunt: sed, ut supra diximus, ordinem invertere possunt, et, si non adsit ratio excusans, tenentur, collationem meridie sumendo, et refectio- nem ad vesperam remittendo; 3<sup>o</sup> milites, tum in castris, tum in præsidiiis, tum in hospitiiis, quia congruum non habent

cibum ut jejunent; 4<sup>o</sup> uxores et filii-familias qui jeju- nando gravem mariti aut parentum in se excitarent in- dignationem; lex enim Ecclesiae cum tanto incommodo non obligat, nisi transgressio ejus in contemptum Dei, religionis vel Ecclesiae peteretur.

3<sup>o</sup> *Necessitas*. Ad necessitatem reducuntur labor susti- nendus et iter faciendum.

Ratione laboris a jejunio eximuntur omnes qui ad suam suorumque vitam sustentandam laborant, et labo- rem jejunando sustinere non possunt sine gravi incom- modo; quia tunc jejunium fit ipsis moraliter impossibile. Hinc excusantur agricolæ, fossores, cæmentarii, navigeri, lignarii, ferrarii, argentarii, ænarii, stannarii, lapidæ, pistores, sutores, coriarii, textores, fullones, bajuli, au- rigæ, nautæ rementes, et ii omnes qui per totam diem aut per majorem diei partem gravioribus operibus va- cant. Contra vero non excusantur qui levibus et non fati- gantibus occupantur laboribus, ut sunt pictores, sartores, nisi per notabilem noctis partem suere teneantur, acu- pingentes, barbitonsores, notarii, scribæ, mercatores in officiniis suis manentes, typographi componentes, advo- cati, consilarii, procuratores, professores, scholares, et alii hujus generis qui, ob nimiam applicationem, majori col- latione uti possunt, non vero secunda refectioe proprie dicta indigent, nisi aliam rationem habeant. Si tamen officium suum implere non possint jejunando sine gravi incommodo, excusantur; sed excusatio est relativa ad personas et occupationes, non vero absoluta et univer- salis. Unde Alexander VII sequentem merito damnavit propositionem, ob suam nimiam generalitatem: « Omnes » officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt » excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare » an labor sit compatibilis cum jejunio. »

Artifices divites qui, ex officio, laboriosas exercent ar- tes a jejunio excusantur, quamvis fructu laboris sui non indigeant; non tenentur enim officio suo et consueto la- bori renuntiare ut jejunent. Ita communiter theologi, qui, præter rationem expositam, afferunt oraculum vivæ vo-

cis Eugenii IV, anni 1440, a plerisque auctoribus scholasticis citatum, et habens: « Artifices laboriosas artes » exercitantes et rustici, sive divites, sive pauperes, » non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis. » Etiam si oraculum istud non esset authenticum, ut quidam volunt, verba a tot doctoribus citata et laudata eorum saltem opinionem exprimunt.

Qui autem laborando sine gravi incommodo jejunare possent, ratione laboris non excusantur, sed ratione consuetudinis universalis et bonæ fidei saltem a gravi peccato nobis videntur excusati; et ideo eos ad jejunium vel saltem privationes sibi imponendas, fortiter hortandos esse arbitramur, et de cætero in fide utcumque bona relinquendos.

Plura adhuc hic sunt notanda: 1° eos qui laborando a jejunio excusantur, communiter jejunare non teneri una vel altera die qua non laborant, quia eo tempore indigent ad reficiendas vires vel ad eas conservandas pro die sequenti; secus, si commode jejunare possent; in dubio pro excusatione magis pronuntiandum est in praxi, ne sacramenta sine causa sufficienti denegentur; 2° eum qui sine intentione fraudandi legem, laborem non necessarium nec consuetum assumit in die jejunii, contra legem jejunandi peccare, quia sine motivo sufficienti ponit causam impletionis legis impeditivam: attamen, corpore ob laborem defatigato, de culpa sua dolere tenetur, non vero jejunare; 3° a fortiori eum legis jejunii esse transgressorem qui suscipit laborem præcise ut non jejunet; et nihilominus, fatigatione existente, refectionem sumere potest, de culpa admissa, dolendo.

Ratione itineris excusantur ii omnes qui, ob rationabilem causam, iter agentes, simul jejunare non possent absque gravi incommodo; nam tunc jejunium fit moraliter impossibile. Eadem est ratio ac pro laborantibus, cum defatigatio corporis attendatur: sicut ergo omnis labor a jejunio non liberat, nec pariter omne iter; et ideo Alexander VII sequentem damnavit propositionem, n. 31, anno 1666: « Excusantur absolute a præcepto jejunii

» omnes illi qui iter agunt æquitando, utcumque iter » agant, etiam si iter necessarium non sit, et etiam si iter » unius diei conficiant. » Requiritur ergo causa sufficiens iter suscipiendi aut continuandi, et notabilis defatigatio corporis, habita ratione personæ, itineris, modi iter faciendi, etc. Unde 1° publici cursores, rhedarum ductores, gallice *les commissionnaires, les piétons, les postillons, les conducteurs de diligences, les courriers de la malleposte*, etc.; item qui, ex honesto fine, v. g., ad invisendum amicum infirmum, ad recuperandam sanitatem, ad relaxandum animum studiis fatigatum, iter quinque aut quatuor leucarum pedibus agere debet; qui magna diei parte cursitare tenetur per civitatem ad litteras deferendas, ad negotia peragenda, ad merces vendendas aut emendas; qui pluribus subsequentibus diebus die ac nocte equo vel rheda præsertim publica iter facere debent, a jejunio excusantur. 2° Non excusantur, e contra, qui pedibus euntes, longum non acturi sunt iter, aut gravem non experturi sunt defatigationem, aut sufficientem non habent rationem iter suscipiendi vel continuandi, quamvis, itinere facto et fatigatione existente, se reficere possint, de culpa admissa dolentes. Sic a jejunio non excusantur qui, sola recreationis aut delectationis causa, iter faciunt, qui equo vel rheda, præsertim domestica, iter agentes, non multum defatigantur; qui absque rationabili causa venantur aut piscantur, etc.

*Notandum* quod iter aliquando permittat jentaculum, si nempe fiat mane, et non cœnam; aliquando cœnam vel copiosiore collationem, et non jentaculum, si fiat post prandium: sæpe sufficit collationem mane sumere et refectionem ad vesperam remittere.

4° *Pietas*. Ratione pietatis a jejunio excusantur ii omnes qui præstantioribus incumbunt operibus quæ cum jejunio non sunt moraliter compatibilia: nam jejunium fuit institutum ut opus bonum; at, si majus bonum impediret, jam cessaret esse bonum, *ut patet*. Hinc excusantur 1° qui pluribus infirmis cum magno labore aut diuturna vigilia inserviunt in hospitiiis, in monasteriis, vel

etiam in domibus privatis sive ex officio, sive ex charitate; 2<sup>o</sup> qui ex vero zelo, ex sui vel aliorum notabili utilitate piam faciunt peregrinationem, v. g., ad visitanda Loca sancta, maxime si, peregrinatione suscepta, dies jejunii intercedat; 3<sup>o</sup> concionatores qui quotidie aut fere quotidie in Quadragesima cum magno labore et studio prædicant: non autem ii qui ob conciones alibi repetitas, vel ob memorie facilitatem, magno studio non indigent, cum tunc causa exemptionis cesset; 4<sup>o</sup> scientiarum professores, ludimagistri, quorum labor est notabilis aut complexio debiliior; 5<sup>o</sup> confessarii complexionem debiliores, si munere suo fungi et simul jejunare non possint; 6<sup>o</sup> cantores et musici qui jejunando vocem amitterent, et officium suum exercere non possent; 7<sup>o</sup> denique ii omnes qui, opera misericordie, sive corporalia, sive spiritualia, exercentes, jejunare nequeunt absque notabili et gravi suo detrimento, etiamsi hæc opera non ex officio vel obedientia, sed sponte suscipiant, si justa sit causa ea suscipiendi et differri non possint. Ita *S. Th.* et cum illo multi theologi.

5<sup>o</sup> *Dispensatio.* Cum lex jejunii sit positiva, dubitari non potest quin ejus obligatio per legitimam superioris dispensationem solvi possit.

Superior autem est 1<sup>o</sup> summus Pontifex pro tota Ecclesia, qui etiam absque causa valide, licet illicite, dispensare potest, tum quoad usum carniū, tum quoad unicam comestionem, tum quoad horam servandam.

2<sup>o</sup> Episcopus in tota sua diocesi, vel ex sua jurisdictione, ut plures volunt, vel ex delegatione summi Pontificis consuetudine fundata. Pro dispensatione erga privatos et communitates, nulla est difficultas; omnes concedunt episcopum hanc habere facultatem: si vero agatur de dispensatione universæ diocesi concedenda, non ita sibi consentiunt doctores; alii enim volunt episcopum dispensare non posse, nisi ex speciali delegatione a summo Pontifice obtenta; alii vero putant eum, ex propria auctoritate vel ex delegatione generali præsumpta, dispensare posse. Quidquid sit, certum est episcopos in Gallia hujusmodi dispensationes ob causam suo judicio gravem concedere

sine ullo recurso ad summum Pontificem. Pontifices Romani hanc praxim ignorare non possunt, et tamen non reclamant. Imo *Bened. XIV* in encyclicis mox citandis supponit episcopos hujusmodi concedere dispensationes. Ita fit etiam in Germania, in Belgio, etc.

Observandum dispensationem super abstinentia a carnibus integram relinquere obligationem jejunii quoad alias partes, scilicet unicam refectionem, qualitatem cœnule et horam servandam, ut expresse definiit *Bened. XIV*, constit. *Non ambigimus*, diei 30 maii 1741, *In suprema*, diei 22 aug. ejusdem anni, et *Libentissime*, diei 10 junii 1745, ad universos episcopos directis. Declarat insuper idem Pontifex *nequaquam licere mensam eandem carne ac piscibus instruere*, ne quidem diebus dominicis in Quadragesima, et hanc eandem conditionem apponendam esse in dispensationibus extra Quadragesimam concessis. Quamvis nihil ostendat præcedentes bullas in Gallia fuisse receptas, saltem maxime congruit ut episcopi a conditione in eis præscripta non recedant.

Ex pluribus S. Pœnitentiariæ decisionibus (*L'Ami de la Religion*, t. 108, p. 309 et 310), constat nomine piscium intelligenda esse testacea marina, quæ vulgo pisces censentur (gallice *les divers coquillages, les huîtres, les anchois, les écrevisses*, etc.). A fortiori comprehenduntur pisces sale siccati.

3<sup>o</sup> Parochi, ex justa causa, cum subditis suis particulibus, non vero pro tota parochia: *talis est sententia communis*, quia nimis grave esset si pro omnibus hujus generis casibus ad episcopum recurrendum foret. Imo id possunt, etiam præsentem episcopo, in sua parochia, quia licet de jure hanc jurisdictionem non habeant, eam tamen consuetudine exercent, et sic apud nos fit quotidie. *S. Ligorius* cum aliis pluribus hanc sententiam æstimat valde probabilem; nos arbitramur illam esse certam. Vicarii actus parochiales qui jurisdictionem requirunt exercentes, hujusmodi dispensationem concedere possunt, nisi parochi expresse repugnent: non vero simplices confessarii aliique sacerdotes, et etiam vicarii externam jurisdictionem non

habentes, nisi ex delegatione parochi, episcopi aut vicarii generalis.

4° Superiores regularium, non solum generales, sed et inferiores seu locales, eandem habent facultatem respectu subditorum suorum, quia veram habent jurisdictionem spiritualem in illos ut omnibus provideant quæ ad bonum ipsorum regimen pertinent.

Id vero *proprio jure* facere nequeunt abbatissæ aliæque femina monialium superiorissæ, sed recte faciunt tanquam nudum ministerium exercentes, nomine superiorum ecclesiasticorum, et in casibus ab eisdem vel a consuetudine determinatis, ut supra jam dictum est. Doctrinaliter autem judicare possunt, ex prudentia et sine scrupulis, ac decernere talem aut talem personam sibi subditam ad legem jejunii aut abstinentiæ non teneri, et exigere ut illam non servet.

Similiter doctores, theologi, confessarii, medici, patres-familias, pronuntiare possunt an existat ratio sufficiens ut lex jejunii vel abstinentiæ non obliget: quinimo, « si » causa sit evidens, » inquit *S. Th.*, 2 2, q. 147, art. 4, » per se ipsum licite potest homo statuti observantiam » præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si » non possit facile recursus ad superiorem haberi. Si vero » causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere » qui habet potestatem in talibus dispensandi. »

#### ARTICULUS QUINTUS.

##### DE IIS QUI RATIONE JEJUNII ET ABSTINENTIE PECCANT.

1° Certum est eos omnes qui ad jejunium tenentur, toties mortaliter peccare quoties legem graviter violant, etiam eadem die, sive comedendo, sive cibis prohibitis utendo, aut novum formant propositum comedendi vel carnibus utendi, nisi sufficientem habeant rationem eos excusantem. *Patet ex dictis.*

2° Qui alios jejunio obligatos invitant ad jentaculum, ad cenam, ad edendas carnes, graviter peccant, siquidem

eos ad grave peccatum incitant, atque peccati eorum fiunt complices. Non tamen increpandi sunt qui, ex usu generali, reverentia aut decencia, cibos non vetitos in mensam apponunt mane et vespere, relinquendo unicuique libertatem, juxta suum beneplacitum, manducandi et bibendi; nec qui adstantes, ex urbanitatis necessitate, ad manducandum et bibendum generalibus verbis invitant, modo eos non exhortentur nec excitent; censentur enim dicere: Forte habetis rationes a jejunio excusantes; sumite quod vobis necessarium est. Si timorati hanc regulam sequi non possent, sæpe graviter molesti fierent et societati renuntiare deberent. Sic in domibus etiam religiosissimis præbentur jentaculum et cœna domesticis et omnis generis opificibus, nisi intentionem manifestent jejunandi.

Multo securius potus, extra refectionem, offerri potest, dum ex se jejunium non frangat.

3° Qui justam habent rationem cibum et potum præbendi jejunium violaturis, a peccato excusantur, secundum principium a nobis sæpe invocatum, quod alteri præbere liceat, ob causam sufficientem, materiam vel actionem ex se bonam qua prævidetur abusurus ad peccandum, quia tunc ipsi soli imputandum est peccatum.

*Hinc* 1° uxor et filia-familias præparare ac præbere possunt cibum et etiam carnes marito, patri aut matri eos exigenti, si timeant iram, rixas, blasphemias et alia hujusmodi; 2° item ancillæ respectu dominorum, si aliunde famulatum cum gravi suo detrimento amitterent, v. g., quia alium facile non invenirent aut periculum seductionis incurrerent; 3° similiter tabernarii, obsonatores (*aubergistes, maîtres d'hôtels, traiteurs*) relative ad viatores et generatim ad eos qui tabernas ipsorum, diversoria, officinas frequentant: carnes offerre non debent, sed petentibus dare possunt, nisi petitio in contemptum Dei aut Ecclesiæ fieret: imo qui viatores per rhedas publicas advenientes hora determinata expectant, experientia cognoscentes multos carnes aut jusculum ex carnibus petituros esse, talia alimenta semper habere possunt parata, petentibus apponenda, vel etiam mensam cibis licitis et illicitis

struere, ut unusquisque quod sibi placuerit eligat; tum quia sæpe plures inveniuntur qui sufficientem habent rationem legem jejunii aut abstinentiæ non servandi, et hanc rationem aperire non tenentur; tum quia in præsentis rerum statu impossibile est, saltem multis in locis, officium tabernarii aliter exercere.

Qui in talibus constituti sunt circumstantiis ut jejunium servare aut a carnibus abstinere non possint absque gravi sui vel suorum detrimento, eadem ratione eximuntur a lege. Unde 1<sup>o</sup> uxor et filii-familias carnes diebus prohibitis manducare possunt, si maritus aut parentes id rigorose præcipiant, et precibus cedere nolint aut blasphemias perpetuo evomant, etc. 2<sup>o</sup> Item famuli et operarii qui aliter panem siccum comedere, famulatum aut servitium cum magno detrimento amittere, aut graves alias molestias experiri tenerentur. 3<sup>o</sup> Pariter excusantur mercatores alique viatores qui in publicis diversoriis vel in domibus privatorum apud quos manducare tenentur, cibos legi abstinentiæ conformes obtinere non possunt. 4<sup>o</sup> Item adhuc qui, ob notabilem rationem, v. g., ad sustentandam suam familiam, ad se in quadam arte perficiendos, certis anni temporibus eunt Parisios vel in plagas in quibus abstinentiam servare nequeant, excusantur.

Sedulo igitur pensandæ sunt circumstantiæ personarum, præceptorum violandorum, rationum ad talem violationem impellentium, et decisio prudenter, ex æquo et bono, ferenda est, cavendo similiter a rigore pernicioso et a nimia laxitate.

*Notandum* insuper nulla ratione licitum fieri posse Deum aut Ecclesiam erubescere, vel transgressioni legis in contemptum ejus petitiæ assentire.

Milites licite utuntur cibariis sibi præstitis, sine distinctione, et a longo tempore jam ubique ipsis quotidie præstantur carnes, quia secus difficile esset convenientia eis præbere alimenta; lege ergo abstinentiæ non obligantur. Verum aliud dicendum est de iis qui, militia pro tempore derelicta, vivunt ut privati; vel de officialibus qui, in præsidii, urbibus aut pagis degentes propriis ex-

pensis sibi provident; vel semestrium habentes, qui ut cæteri facti sunt cives: nulla ratione a communi lege eximuntur. In pluribus diocesisibus militares in *activitate*, sine ulla distinctione, cum uxoribus et liberis, declarantur ab abstinentia exempti, exceptis, ad summum, nonnullis diebus, ut feria sexta Majoris Hebdomadis.

## CAPUT QUARTUM.

### DE ABSTINENTIA EXTRA JEJUNIUM.

1<sup>o</sup> Constat, ex dictis, abstinentiam a carnibus nunc partem esse jejunii, ac proinde diebus jejunii servandam esse nisi aliqua sit causa legitime excusans.

2<sup>o</sup> Olim multo plura existebant jejunia quam hodie; præter enim magnum quadragesimale jejunium, in primis sæculis jejunabatur etiam feria quarta, feria sexta et sabbato singularum hebdomadum. Sic quippe habet *S. Aug.*, Epist. 36, n. 30: « Cur autem quarta et sexta » maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod » considerato Evangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo » quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi... Passus est Dominus, » quod nullus ambigit, sexta sabbati, quapropter et ipsa » sexta jejuniis deputatur. » Postea, n. 32, refert idem *Doctor S. Ambrosium*, a se circa jejunium sabbati interrogatum, respondisse: « Quando hic sum (Mediolani), » non jejuno sabbato; quando Romæ sum, jejuno sabbato! » Unde eo tempore alii jejunabant, alii non jejunabant die sabbati. *Innocentius I*, quinto ineunte sæculo, Epist. 1 ad Decentium, cap. 4, ait: « Non ergo nos ne » gamus feria sexta jejunandum, sed dicimus et sabbato » hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel » his qui Christum secuti sunt, induxerunt. »

3<sup>o</sup> Jejunium in his diebus paulatim cessavit: Leo IV, anno 855 mortuus, illud tradit, Decreto, part. 3, dist. 3, can. 11, ut de consilio; abstinentiam feria quarta pariter